



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

[Præfatio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)



TRACTATUS OCTAVUS.

De Sacramento Matrimonii.

Ad quaestionem 41. supplementi, & alias sequentes

P R A E F A T I O.



Pro Theologis plurimi soleant de Matrimonij Sacramento tractatum praetermittere, quod ad Iurisperitos & Canonistas pertinere magis quam ad Theologos videatur: attamen gratiam Licetiorum me fecerum existimavi, si ceteris Theologia Tractatibus, etiam hoc ad jungerem; ut Theologia nostra velut integro corporis pars nulla desisset, & difficultates quae plurimae in hoc Tractatu & graves occurrunt de quibus ius est Theologus, ut pronuntient, & suam sententiam proferant eodem ordine, eadem methodo, ipsi D. Thomae a principio explicatas studiosi doctrinae Thomisticae reperirent. Nec vero adeo facile tractationem quis existimet, ut non opus sit Theologici & Scholastici laboris & acuminis diligentiam omnem & solertiam advocare; cum Augustinus, quem merito inter Ecclesiae Patres & Doctores, acumine, & vi ingenij, aquilam dixeris, adeo difficilem existimaverit, ut ita de se dixerit aliquando: Quaestionem de conjugii obscurissimam & implicatissimam esse non negem, nec audeo profiteri, omnes sinus ejus, vel in hoc opere, vel in alio, me adhuc explicasse, vel jam posse si urgear explicare. Sed obscuritati & difficultati non exigua, accedat argumenti dignitas, quae sane exigit, ut inter sacras Theologiae Tractationes, hac de Matrimonio recenseatur, cum hoc Sacramentum plures dotes habeat, quibus aliis Ecclesiae Sacramentis praestantius est, ea superat, & ab Apostolo Sacramentum magnum dicitur in Christo & Ecclesia. Nemo nescit plurimae esse, & commendatione dignissima, quae conjugium habet, ut natura bonum, ut in dividiua duorum societas, ut civilis contractus, & totius humani generis fons, quae potissimum iuris consulti spectant, quibus iudicium & primi federis, unde cetera inter homines fidera originem ducunt, necessitatem & honestatem attollunt. Sapienter Iustinianus Imperator dixit, Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi fideatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum. Et Iustinus minor conjugii familias sobolem, civitates frequentiam, Respublicas salutem debere dixit. Nihil inquit in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones, atque civitates frequentes reddat, inde denique optima Reipublicae coagmentatio fiat. Demum Plato lib. de Legibus Oportet inquit parentes gignere & educare liberos; qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes, juxta ipsius legem. Neque eam dignitatem conjugii SS. Patres praeferunt. Ambrosius fecunditatem parientium, divinum munus esse dixit, quo debeant parentes gratias agere, quia generaverunt; filij, quia geniti sunt, fidei & religionis Sacramentorum participes futuri; patres, quia conjugii primus & suscepta prole honorantur. Unde inquit aquum est, ut in Dei laudem vernet terra, quia colitur; mundus quia cognoscitur; Ecclesia quia devota numero Plebis augetur. Quin etiam si quis à D. Cyrillo Alexandrino postulet, cur existimaverit, Christum virginis prolem, Virgine parentis gentium, Cana nuptius interesse voluisse & hanc potissimum rationem reddere, ut nativitas nostrae principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Exigebat enim ipsa carnis propagatione acceptae infirmitas, eum qui totam naturam hominis, in meliorem ac feliciorum statum reparabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam praeparare, & aditum illorum ad hanc mortalem vitam, & aeternam te miraculi, & suae maiestatis praesentia consecrare.

Hac sane praestantissima sunt: hac praeterea conjugiorum commendatio, si vel ea solam qua intra

Lib. 1. de adulteris & conjugio.

Novella 22.

Novella 2.

Lib. 1. in Lucam.

Lib. 2. in Ioan. cap. 2.

P R A E F A T I O.

natura limites habent, in mortalitatis subsidium, Rerum publicarum salutem, civitatum frequentiam, & ad sancienda hominum fœdera, suis laudibus celebrantur. Sed quàm multis partibus hac infra eam commendationem jacent, quâ Apostolus Matrimonium dixit esse magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia! Hac una est singularis, & ingens laudum & commendatio- nis materia, quâ cetera Ecclesia Sacramenta, Matrimonij Sacramentum superat, & longè antecedit. Non negaverim equidem Sacramentum Matrimonij, ut signum practicum, & effica- cem causam gratiæ, infimum inter Sacramenta gradum tenere, & parum ad spirituales & cœle- stis vitæ officia, ad quæ Sacramenta ordinantur, assurgere. Verum nemo etiam neget, ut signum speculativum, & sacramentum rerum symbolum, cetera Sacramenta superare, ipsq; sanctius esse, tri- plici significatione, quâ præcipua Religionis & fidei mysteria representat. In primis enim fidei- um conjugium, quod (ut inquit Tertullianus) Ecclesia conciliat, confirmat oblatio [scilicet Missæ Sacrificium] & obsignans Angeli, sacrum signum est castissimi fœderis, & unionis Dei- cum anima, quam sibi per fidem desponsare Scriptura dixit; cui dotis nomine virtutes, & cœle- stia charismata, atq; ipsum donorum auctorem Spiritum sanctum infundit. Sed præterea Sa- cramentum est in Christo & Ecclesia, & symbolum fœderis, quo Ecclesiam Christus suo Sanguine mundatam, & detersis maculis gloriosam sibi sponsam coniunxit. Ac demum Matrimonij, quo utriusq; conjugis sit una caro, eximiam illam & singularem unionem significat, quâ Verbum naturam humanam sibi vinculo nunquam solvendo copulavit, quo bonorum ac malorum sit hinc inde communio, & ex utroque Deo & homine una Persona conjungitur. Quis neget significatione hujus triplicis unionis & fœderis, cuius Matrimonium symbolum est, cetera Religionis Sacra- menta superare, & mysteriorum quæ maxima sunt, & fides docet, imaginem exhibere? Verum id maxime congruum erat, atq; ipsa conjugij conditio, quæ suapte natura & usu hominem depri- mit, suo quodammodo iure postulabat, ut eam depressionem Sacramenti magnitudo compensaret, & erigeretur animus cœlestium rerum contemplatione, quarum conjugium sacrum signum in- stitutum est. Atq; hanc forsitan divini consilij rationem fuisse, nec temerè suspicari licet, cum Deus mulierem postea connubio copulandam, ex latere viri formaturus, in Adamum sopo- rem immisit, ipsumq; in extasim rapuit, & ut Augustinus dixit, angelica curia participem ef- fecit. Cur enim Adamus, cum futura ipsi sponsa paratur, ad cœlestem curiam evehitur, cœlestiū choris & ordinibus interest, & nisi clarâ Dei visione fruatur, quod quidam arbitrantur, divino lumine, & prophetiæ pari, perfunditur, fideiq; Sacramentum docetur? Hoc scilicet primo connu- bio debebatur, ne primus homo mysteria nesciret quorum conjugium jam in eundem, sym- bolum futurum erat, & agnosceret illud unionem triplicem, triplexq; fœdus representare, Ver- bi cum natura humana, Christi cum Ecclesia, Dei cum anima, quam sibi hic per fidem desponsat, in cœlis clarâ visione æternum copulat. Hac præcipua sunt (AMICE LECTOR) quæ in Tra- ctatum de Sacramento Matrimonij, quâdam veluti prævisione, visum est præmittere, ante- quam ad ea, quæ maiorem operam postulant, properarem.